

quidem Imperatoris intercalatum existere, nulla ratione videri. Quare simplicissime, verissimeque legendum putat: ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΤΗΡ. ΑΣΩΙΣ' ΙΩΝ. ΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ: i. e. *Claudii Propugnatoris Jonum Augusti Numus duarum Drachmarum*: Moneta scilicet *Rhodia*, quæ Provincie *Joniae* Urbs nobilissima, decantato inter Mundi Miracula *Solis Colosso*, ingenti, & musico, inclaruit. Aequum non erat, dum de Apolline, ac Sole prolixius egimus, me nullam hujus tanti in Orbe prodigii memoriam tibi refricare. PUBL. Legi de hoc stupendo *Charis* opere æreo tantæ molis, ut altitudine LXX. Cubitos exleret, solusque dextræ pollex tanta esset crassitudine, quam Vir ambobus brachiis ægre complecteretur, ac comprehenderet. Intra pedes tam immanis hujus Apollineæ statuæ integra triremis expansis carbasis transire poterat: si tamen Historia nihil in his contra fidem tradiderit. Steterat hic Colossus non diutius, quam sex & quinquaginta annis, terræ deinde motu contractus.

DIALOGUS XXII.

De Numis Neptuni, & Martis.

TULLIUS.

Ingens Deorum, quæ superest, multitudo coegit me, tam pingendo Numos, quam de iisdem tecum disserendo, longe strictiorem esse, quam hactenus in *Jove*, & *Apolline* fueram. *Neptunum* aggrediamur. Is juxta fabulas, dum alii sic, alii aliter mentientur, varias geneses, Urbes natales, Uxores, Prolesque habebat. Sola hæc communis assertio, eum, ejecto *Saturno* patre, de Regnis ejus cum Fratribus, *Jove*, ac *Platone*, tentasse sortem, quæ Mariam Rectorem, ac Dominum, ipsum pronuntiaverit. Inde apud *Virgilium*, cum fastu denunciari *Asolo* curavit:

R

Re-

- - - - Regique hæc dicite vestro :

Non ipsi *Imperium Pelagi*, sævumque *Tridentem*,
Sed mihi *forte datum*.

II.

PUBL. Quis de eo Domini *Pluche* est sensus? *TULL.* Docet ille, *Aegyptios Osirim*, *Signum Solis*, quando populus admonendus erat de adventu Phœniciorum ad fruges emendas, publice exposuisse sub imagine Viri, equo alato insidentis, ad navium celeritatem adumbrandam, & harpagonem navalem uncis præfixum dextra gerentis. Hanc iconem appellasse *Posbeidum*, a *Posb*, i. e. copiæ, & *Jedaim*, i. e. Oræ maritimæ: quia tunc Aegyptii, quod sibi frumentorum, olei, lini, pellium bubularum, aliarumque rerum, superfluum erat, ad litora maris venundanda detulerunt. Alio nomine hæc imago pariter vocabatur *Nephtoni*, a *Nephet*, h. e. Agitatio, & *Oni*, h. e. Navis: quod Classis Phœnicia appullionem prænunciaret. Inde præsentis Dei, de quo agimus, Nomina, græcum quidem *Ποσειδών*, latinum *Neptunus*. Hanc iconem, dum nihil amplius doceret, posteriores Aegyptii, rei nauticæ non intendentes, parum admodum curarunt: Græci vero ad se delatam, aliæque Gentes, quarum perpetuus in pelago labor, transformarunt in princeps maritimum Numen, grandem eidem famulantium curiam affingentes.

III.

PUBL. Ejus imagines jam exhibuisti mihi in Exercit. Procem. Tab. IV. n. 8. in Numo *Lucretii Trionis*: item Partis II. Tab. II. n. 6. in Numo *Pompeii*, rursumque Tab. VI. n. 3. cum Portu Ostiensi in Numo *Neronis*, Adhæc iterum, ac tertium, eundem reneo in Numis *Marci Agrippæ*: ubi semper stat nudus, cum tenuissima stola, dextra delphinum gerens, lævaque sustinens tridentem: pone in omnibus, quamvis diversi sunt moduli, nil præter S. C. adscriptum comparet. *TULL.* Delphinis, tanquam civibus marinis, vehitur persæpe: Tridente quandoque solo, citra suam imaginem, Neptunus denotatur. *Propertio* ab undis dicitur *Liquidus Deus*: & *Statio*, *Jupiter secundus*: uti *Virgilio* a dit *Jupiter Æquoreus*. Cognomen *Hippii*, vel *Equesfris* traxit, vel quod hin-

hinnulus Equi Saturno Patri a Matre pro eo suppositus fuerit: *vñ* quod ipse Pegasum genuisse confictus sit.

PUBL. Tribus mihi Numis hunc Deum etiam in Tabula tua V. pinxisti, alia semper imagine comparentem. Primus eundem sistit nudum, dextro pede orbi insistentem, dextraque manu, super genu reclinari, acrostolium, vel aplustre gerentem, ornatum videlicet proræ vel puppis, inde Aequorum Deus agnoscatur. Orbem forsitan calcatur, ut, maritimo itinere confecto, appulsum felicem ad litus denunciatur. Sinistra sustinet hastam, Deorum, atque Rectorum insigne: Epigraphe: *NEP. tuno RED. uci.* *TULL.* Apposite singula. *Vespasiani* Imperatoris hic Numus est apud *Aen. Vicum* Argento 28. Cui, per se, ac per filium *Titum*, in Palaestina multum bellanti, Maria sæpe Classibus armatis tentanda fuerant, atque curandum, ut Neptuno propitio uteretur.

PUBL. Insequens Numus *Neptunum* æque stantem redhibet, sed obverso tergo, atque iratum, quia tridentem forti nisu intorquet: laevum brachium tenui linteo involutum, sub quo imaguncula est quasi Remi navalis vel mallei, aut Securis. Ad laevam deorsum scribitur: ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ: infra ΒΑΣΙΛΕΩΣ: intra pedes Monogramma ex H. & P. contractum *TULL.* Protulit hunc Numum argenteum, & magnum Cl. P. *Fœlichius*, habetque in Adversa Proram navis, cui Victoria superstat alata, cum gemina tuba, quarum unam inflat, alteram defert. Evulgat nimirum & prædicat Victoriæ navalem, eamque celebrem, quam *Demetrius*, dictus *Poliorcetes*, i. e. *Expugnatur Urbium*, Regum Syro-Macedonum hoc nomine primus, de *Ptolomeo* Aegyptii Rege, ac Fœderatis, ad litora Cypri retulerat.

PUBL. Numus apud te postremus hujus Dei eundem pingit, conchæ marinæ, quasi effedo insistentem, duobus delphinis vestum, quos tridente in velocitatem stimulat. Supra est litera B. Infra lego: *Q. utnus CREPEREI. us ROCUS.* Puto, hunc Numum ad Familias attinere. *TULL.* Intulit eum Cl. *Montfocominus* cæteris *Neptuni* Schematibus ex *Vaillantio*. Cujus a lineis paulo differt imago Cl. *Pasini* in gente *Creperia* p. 95. ubi cum capi-

IV.
TAB. V.
N. II.

V.
TAB. V.
N. III.

Annal.
Syriae T.
II. n. 4.

VI.
TAB. V.
N. IV.

Tom. I.
Part. I.
Tab.
XXXII,
n. 3.

te foemineo pictus est in Adversa, quod Veneris esse videtur, quam spuma marina genitam comminifcebantur.

VIII.

Cæterum apud Ill *Spanhemium* I. p. 283. in *Boëtorum* Numo cernitur *Neptunus Hippius*, vel Equestris, in imagine Centauri, tridentem gestantis. In Denario Gentis *Allienæ* apud *Patinum* p. 420. *Neptunus*, pede dextro proræ navis insiftens, triquetrum, five figuram tricrurum, Siciliæ symbolum, dextra secum defert. Apud eundem, Impp. p. 420. in *Maximini* Numo *Broyfinsensum*, cum tridente, ac patera, super sellam confidens, manibus duorum Tritonum, cornuacopiæ ferentium, sublimis gestatur. Cl. *Har-*

In *Plin.*
Tab. VII.
n. 6. ad
Tomi I.
p. 429.

duinus æris maximi Numum *Commodi* redhibet: in quo Imperator ad aram ardentem libando Sacra facit Neptuno adstanti, qui dextra tridentem, læva Delphinum gestat. Lemma est: SEC. IMP. OMNIA FELICIA. Ego legissem: SEC. uro IMP. eratore: sed Viro Cl. visum est melius legi: S. alvo E. exercitu C. ommodi IMP. eratoris OMNIA FELICIA.

VIII.

Præter hæc, apud *Montfoconium* plures de curia Regis hujus æquorei, Numis exhibitos intueberis, quando illum accesseris. Videbis *Tarantem* filium ejus, haud aliter a patre, nisi forma juveni discernendum. *Glaucum*, deinde, *Melicertam*, *Portumnium*, *Proteum*, *Nereum*, aliosque Deos Marinos: quibus plerumque Delphinos, tanquam *φιλανθρώπους*, i. e. *hominum amatores*, terga sua substernere cernes, illis in forma puerorum aut insidentibus, aut superstantibus, aut plane incumbentibus. Qui tamen quandoque alati, cupidinum speciem præbent. *Najadas* quoque, aut *Nereides* cernes, superiori parte foeminas, inferiori pisces. Quorum omnium imaginibus in hac Tabula mea locus non erat, uti neque fabulis in præsentis sermone.

IX.

PUBL. *Neptuno* tu *Martem* subjunxisti, terribile populis Numen, quod ambitus, ac tyrannis, miseris terris invexerunt. *TULL.* Fingitur is Junonis, e solo Floris cujusdam contactu gravidæ, filius fuisse, ne illa Jove suo minor esset, qui e cerebro suo *Minnervam* produxerat. Adultus: *Halirrothium*, filium *Neptuni* commisso certamine, interemit, eapropter ad *Consentium* XII. Deorum tribunal evocatus: ubi vero causam suam tam egregie dixit, ut
non

non modo vinceret, verum etiam Armorum, bellorumque Præses constitueretur. De quo proinde *Ausonius* :

Quique truces Belli motus ciet *Armipotens Mars*. Eidyll. XII. v.

Ob dubium eventum pugnarum, quodque mox victus evadat, qui statim Victor fuerat, *Communis Deus* appellabatur, canente *Homero* : 84. Iliad. ̄. 309.

Communis Belli Mars est, Victorque repente, sæpe cadit.

Ea propter quoque forsitan a *Virgilio* cæcus dictus est, canente : Aeneid. II. 335.

- - - Et cæco *Marte* resistunt.

Apud Romanos princeps ejus elogium fuit *Patris*, non solum, quia *Romuli* parens credebatur, verum etiam, quod ipse *Romulus* diceretur. *Ovidius* certe supplicabat : De Arte. I. 203.

MARSque *Pater*, CAESARque *Pater*, date Numen eunti.

Inde & Roma se *Martiam* dixit. Ipse porro iratus, audiebat *Gradius*, a gradiendo, imo festinando in ultionem : pacatus vero dicebatur *Quirinus*, uti Cives Romani, domi persistentes, appellabantur *Quirites*. Cognominabatur & *Hesus*, quo eum nomine *Lucanus* extulit : Pharsal. I. 445.

- - horrensque feris Altaribus *Hesus*.

Quid *fera* ejusdem *Altaria*, exposuit *Lactantius*, inquires : „ Gal- „ li *Hesum*, atque *Theutatem*, humano cruore placabant. „ Cur- Libr. I, rum ejus regebat *Bellona*, trahebant equorum loco *Terror*, & *Me-* c. 21. *tus*, comitabantur *Ira*, & *Clamor*, ornabant *Enses*, ac *Faces*.

PUBL. Nunquid etiam D. *Pluche* Martem inter Signa Aegyptiaca reperit? TULL. Facile quidem. Sit enim : In cæ- X. Histor. Cæli. cap. I. §. 14. teris monumentis residuis Aegyptiis etiam *Horum* comparere, qui telo

telo armatus, ad arborem aridam se apro spumanti, & inter flores Loti consistenti, quod germen, præter flores pulcherrimos, etiam uberes atque dulcissimos parurit fructus, generose sese opponit, eique eadem intentat. Signi hujus non alia ratio fuit, nisi ut indicaretur, Aegyptios longo temporis usu de Ubertate Terræ suæ, quam *Horus* designabat, jam certos, didicisse, damnis inundantis Nili sic prævenire, ipsiusque linum relictum, postremis anni mensibus hyemalibus in eodem seminando, in commodum suum ita vertere, ut verno tempore de uberrima messe certissime sperent. Apro igitur, inter Loti flores, ad spatiosa Nili litora uberrime excrecentes, consistente, proposuerunt hoc Flumen inundans, quod messem antea destruens, hostis fuerit Ubertatis: nunc autem ab *Horo* victore confectus, nocere haud amplius possit. No-

Ibid. cap.
II. s. 19.

Julian.
Imp. de
Sole.

XI,

men hujus Victoris tunc erat *Harits* duriore dialecto, mitiore Syriaca *Hazis*, i. e. *Violentus*, ut Jobi XV. v. 20. vel *terribilis* in bello, ut Psalm. XXIV. v. 8. Inde natum Græcum *Ægēs*, latinumque *Mars*, ita testante *Juliano* Caesare: „ Edessenis Mesopota-
„ tamiæ ille dictus est *Azis*, qui Græcis *Ares*. „

TAB. V.
N. V.

Origg.
Libr.
VIII. c. 11

XII.
TAB. V.
N. VI.

PUBL. Multa, ut video, in docendo possunt Linguarum potentes, quibus voces pro armis esse solent. Quorum facultas cum supra me posita sit, ad *Martis*, quas mihi pinxisti, quaternas imagines convertor. Numus hujus Tabulæ tuæ *Quintus*, æreus apud me parvus existens, est *Probi* Augusti, sistitque *Martem* nudum, galeatum tamen, gradientem, cum tropheo super humerum, hastamque transversam dextra gerentem: Epigraphe: MARS VICTOR. An Deum, an ejus nomine *Probum* ipsum, egregium & frequentem Victorem, deprædicari hac icone credam, parum referre crediderim. *TULL.* Neutrum abnuo: id solum adverto, notasse *Ishdorum*, plerumque nudo saltem pectore hunc Deum effectum esse: quod quisque in bello intrepidus obviare quibuslibet hostibus, & coram eis consistere impavidus debeat.

PUBL. His consonare videtur *Sextus* Numus *M. Aurelii* adhuc *Caesaris*, denuo meus: in quo stat *Mars* galeatus, pectore nudo, cæterum vestitus, dextra flagellum tenens, læva sustinens hastam, adstante ad pedes Gallo gallinaceo. Elogium hic nullum, sed soli residui tituli ex Adversa: TR. P. ot. X. COS. II. *dum.* Flagellum furoris bellici, summæque sævitæ reputo symbo-

bolum : Gallum vero vigilantia, cujus primæ apud Imperatorem bellicum partes esse debent, ut in omnes hostium vires, artesque intendens, & velocior illis, & astutior sit. TULL. Moralis est hoc disciplina. Sed cum attenderetur Natura, veteres Gallum Gallinaceum pro Victoriæ signo propter pugnacitatem habebant, & ideo Marti sacrum voluerunt, canente *Aufonio* :

Eidyll.
XI. 26.

- - - ter clara instantis Eoi

Signa canit *ferus* deprensò Marte *Satelles*.

Maxime, cum ante profectioem in bellum, aut ante pugnam, pro felici eventu sacra fierent, tumque Galli eodem in loco egregie cantarent, Augures nihil adhaerentes, Victoriæ pollicebantur.

Cic. de
Divinit.
L. II. c.
26.

PUBL. Pluribus adhuc meis in Numis Martem intueor. Primum in ære medio *Alexandri Severi*, ubi armatus, cum clypeo, & hasta transversa stans, prædicatur MARS ULTOR. In *Probi* Numis, cum clypeo, hasta, & Victorialia stans, audit vel CONSERVATOR : vel PROPUGNATOR : vel VIRTUS AUG. *usti*. In ære parvo *Diocletiani* armatus adstans, & galeam calcans, præter clypeum, & hastam, præfert etiam Oleæ ramum, cum lemmate : MARTI PACIFERO. Pax etenim quaeritur bello : qua procurata, ponuntur galea, & ensis,

XIII.

Atque ferox miti concedit Laurus Olivæ.

Peregrinum autem est, in septimo Numo tuo stare, vel progredi Martem nudum galeatum, cum hasta, clypeo, & scala. cum lego : ΒΙΖΥΗΝΩΝ. Cuiam Augustorum hic Numus ceditur ?

TAB. V.
N. VII.

TULL. Est *Septimii Severi*, eumque æreum & medium vulgavi, atque peculiari Dissertatione illustravit *Joann. Christoph. Olearius* Hallensis, Vir pereruditus. Tribuit eum *Bizya*, satis celebri quondam in Thracia Urbi, putatque cusum in gratulationem capti tandem a *Severo* post obsidionem triennem Byzantii, sqq.

XIV.
In Electis
Rei Num.
Tab. III.
n. 7. ad
pag. 131.
tiii, sqq.

tii, longe munitissimæ, & singulari plane murorum præstantia inclitæ metropolis Thracia. Quæ *Pescennio Nigro*, amulo *Severi*, jam etiam occiso, nihilominus pertinacissimam fidem servavit: inde vero promerita est, ut expugnata tandem, funditus excinderetur. Cum itaque, olim cum primis, in expugnatione Urbium Scalæ fuerint primi atque præcipui usus: credidit *Olearius*, in hoc Numo singulari, Scalam præter morem additam esse Marti secum deferendam, ut hoc symbolo eidem quodammodo elogium *Expugnatoris*, licet non adscriptum, injungeretur.

XV.
TAB. V.
N. VIII

Goth.
Num. p.
345.

PUBL. Octavus apud te Numus Martem exhibet vestitum, in galea, & chlamyde, cum oleæ ramusculo, & hasta stantem. Epigraphe: MARTI PUTOR. An ænigma hic latet, an Monetarii sphalma? *TULL.* Parvum hunc æreum *Claudii Gothici* Numum protulit Eruditissimus D. *Liebe*: cumque in alio ejusdem Imperatoris Numo legerit: VOTA ORBIS: putabat, in hoc pariter Numo forsitan legi posse: MARTI P. acifero V. ota T. errarum O. rbis. Quod ut ab imagine non abludit, ego non abnuo. Liceret autem æque legere: MARTI P. acifero V. icloriis T. utanti O. rbem R. omanum. Nisi simplicius quis legendum putet: MARTI TUTORI: sibi nempe persuadens, errore Monetarii, P. ante V. loco T. positum fuisse.

XVI.
In Plin.
suo Tab.
V. n. 4.
sqq. ad
Tomi I.
p. 282.

Cl. Harduinus plures *Iliensium* Numos pinxit, & exposuit cum *Hectoris* nomine: quem tamen per id intelligi non vult, sed cum *Eustathio* interpretatur hoc nomen per vocem latinam *Propugnator*. Unde dum in uno eorum æris minimi in *Adversa* Caput *Palladis* videt galeatum, atque hinc & inde literas I-ΔI. i. e. ΙΑΙ. εαν: in *Aversa* vero Martem nudum stantem, galeatum, cum hasta, itemque sceptro militari; inter literas: E-K: quæ viderentur legendæ: *EK. τας*: ipsi potius placet, tecto nomine hic scriptum esse: *Iliensium Propugnator Mars*. Quid vero si adsans figura Ducem bellicum, qualis *Hector* fuit, non Martem, redhiberet? Tuetur quidem sententiam suam aliis *Iliensium* Numis, in quorum *Adversis* Capita *M. Aurelij*, *Commodi*, *Severi*, *Caracalla*, in *Aversis* autem bigæ, vel quadrigæ, insidente Victore, redhibentur, adscripto supra: EKTQP: infra: ΙΑΙΕΩΝ. Ubi ait, *Hectorem* Trojæ non vicisse, sed occubuisse: proinde non ipsum, sed laudatos Imperatores, Victorum imagine proponi, & *Iliensium Propugnatoris* præ-

prædicari. Sed esto, *Hector*, post factam a se maximorum Ducum hostilium cædem, tandem ex insidiis victus fuerit, tanti tamen Herois fama sic duravit, ut ex Oraculi monito, ejusdem Ossa, Jovis imperio, Thebas in hostilem Græciæ terram transferri, & ibidem, tanquam Victoris, cum pompa sepeliri debuerint.

Celeberr. *Montfoconius* perelegantem pinxit *Aureliani* Numum, ubi Mars nudus adstans, galeatus, cum hasta, una cum Apolline, radiante capite flagrum tenente, simul orbem gestat, infra in genu procumbente hoste victo, nudo galeato, vinctoque. Epigraphe habet: MARTI INVICTO. Quo schemate clarissimæ *Aureliani* Victoriæ de Tirannis Imperii, hoc pacto vindicati, ope, ut credebatur, Apollinis, & Martis relatæ, deprædicabantur. Ibidem porro adjunguntur alii duo Numi, utique in Adversa cum Capite galeato, sed barbato uno, altero imberbi, addita post cervicem posterioris clava. Aversa prioris habet Equi frænatum, & retro spicam: alterius Equum salientem, & supra clavam. In priori subscriptum est: ROMANO. In altero: ROMA. Cl. *Harduinus* tertium ex *Golzio* pinxit, hinc cum Capite diademato, & clava post cervicem, inde cum Lupa, Romulum, ac Remum lactante, subscripta pariter voce ROMANO. Commemoratur & quartum, cum capite Romæ, ac Leone irato, iterumque voce: ROMANO.

Tibi autem est Numus, æque cum Capite galeato imberbi, quasi Romæ, & in Aversa cum capite Equi sine loris, circum adscripto Nomine ROMANOC, quasi græca terminatione, si C. pro Σ. agnoscat. Pinxeram tibi hunc Numum tuum in Exercitat. Procem. Tab. II. n. 10. atque ibidem Dial. VII. n. 15. sqq. ad sensum *Golzii*, vel *Nonii* potius, exposui, tanquam originem Romanorum ab Arcadibus referat, qui *Neptuno Hippio*, i. e. *Equestri*, Festa quotannis agebant: quæ Romam translata, *Consualia* dicebantur. Verumtamen Cl. *Harduinus* omnia, quæ recensitis in Numis pinguntur, scilicet Capita, Clavas, Lupam, Equum, Leonem, ad Martem spectare vult: Romæ vero simul, ac Narbonis primordia iisdem symbolis commendari. Quocirca legit: RO. ma MA. riii N. arbonis O. rigo. Cuperem porro certe, quid cum C. in Numo tuo faceret? Forte, si eam latinam ag-

XVII.
Tom. I.
P. I. T.
LXVII.
n. 5.

In Plin.
suo Tab.
II. n. 13.
ad Tomi
I. p. 145.

XVIII.

Quæst.
Roma-
nar. 25.
Libr. I. &
II.

nosceret, legisset: RO. mac MA. rtius N. arbo O. riginē C. laret. Aut, si græcam eam haberet, pro S. positam: RO. mac MA. rtius N. arbo O. riginem S. acrat. Valde autem dubito, his in Numis ullum Narboni locum deberi. Quid, si legerem ego? ROM. a A. r cadum N. eptuno O. r din. wit C. onsuali. Nam, teste *Plutarcho*, *Consus*, ignotus Deus, habitus est a plerisque pro *Neptuno Equestri*, quamvis alii *Consiliorum Præsidem* in hoc Numine venerarentur. Afferente deinde *Dionysio Halicarnassensi*, *Consualibus* in festis, Equi, Mulique, floribus ornati, vacabant a laboribus communibus, liberique in circo ludebant. Tantum hic scabest, nisi plus rationis, quam pro Narbone.

DIALOGUS XXIII.

De Mercurio in Numis.

PUBLIUS.

I.

AD Mercurium ordo nunc vertitur tua in Tabula V. ta. sexcentas in artes, & munia versatilem Deum. TULL. Varias & huic Numini cunas affingunt: legitimus ille, qui *Jove & Maja* genitus perhibetur. Agilis ut esset, aut nullis aut levissimis talaribus erat, petasum, i. e. pileum tenuem, illumque alatum, Capite gestans, quin & pedibus alatis. Deferebat virgam, sive perticam, cum implexis anguibus: frequenter & marsupium. Adstabant eidem gallus gallinaceus, item Aries, aut Hircus. Deorum nempe mutuus, aut ad homines, vel horum ad illos Nuncius fuit. Quem cum facundum esse oporteret, Sermonis Præsides erat: apud Aras quidem, dum verba fiebant ad Superos: in Senatu, dum de fœderibus, bello aut pace, aliisque grandibus negotiis agebatur: in Rostris, ubi declamatum fuit: in Domibus negotiatorum, in quibus vendendo, & emendo, quotidiana hominum commercia in-
sti-